



Pretium Petronianum tertium

(24. Januar 2015)

1. Platz

Clara Brügger

Helvia sorori suae salutem dicit,

certe meministi sermonis longi, quem recens mecum habuisti de ista epistula mei filii, ex quo nobis, etsi non controversia, tamen discordia facta est. Hac in re ne tu quidem me intellegere potes, tuis in manibus epistula compressa non esset, tu epistulam dimidiatam lectam non legere desinuisses. Postea saepe impetum cepi exponendi, quid sentiam; explanare autem affectum involutum multo difficilius est quam verba in verum detorquere, ut viri nostri solent.

At nunc, dum alii bene quiescunt, vinum sententiam meam effundet. Ne me potantem vituperaveris! Tibi est tantum ignoscendum uni culpae minori, quae omnem aliam culpam excludit.

Et filius, si ei credas, scribere incipere cunctabatur. Num fuit magnitudo doloris aut novitas causae, quae eum interpellebat? Minime! Ei studium levamentum tristitiae matris destitutae quaerendi est nullum: causam speciosam praetulit ad me sermonem adhibens, animum autem ad alia: oculos convertit in altiora et conspicit maxima. Itaque mirum non est, si feminae, quam magnificis verbis descripsit, incognita sum, nam et is eam neque cognovit neque perspexit. Composuit me feminam ferream et cicatricosam, quae sanctissime se gerit! ‚Filius optimus’, ut dixisti, ‚qui matrem maxime dilaudat!’ At mihi non est laudatio, sed fraudatio, insuper etiam mihi iniuriam intulit quasi mater vera non laudanda sit.

Quam ob causam epistulam rescribere non necesse est mihi, quippe quae neque accipiens neque scriptrix sim! Inopinata et non optata res etiam ei accideret, quia litterulas meas non ederet. Et ego epistulas lacrimarum plenas, qui quondam puer miserandus in Aegypto scripsit, non edam.

Tantam impensam faciunt in institutionem dicendi et exercitationem, ut rem ad magnam inflent, in qua nihil est. In contrariam partem afferas ‚Nonne et tu studiis intereras?’ Ita erat, litteris studere coepi, cum eo tempore philosophia mihi nova et admirabilis videretur et eam me ad novam cognitionem et exitum ducturam esse sperarem! Brevi postea autem spes mihi erepta erat. Granditas verborum non potest me celare causam inanem esse. Homines philosophiam invenerunt inhumanam: semper secundum rationem vivere. Sed nonne praeter

rationem cogitandi est ratio sentiendi, qua praestamus omnibus ceteris animalibus? Ferae pascuntur ut famem exstinguant, nobis palatum saporis inter se distinguens datum est, cur eo non utamur, ut delectemur? Ferae vago animo instructae sunt, et voluptas et dolor cito remittuntur. Cur non laetitia fruamur sive amore, quae animos nostros ad astra mittunt? Etsi ferant maerorem desideriumque, quae animos angunt quasi apud inferos simus, melius sit in vita multa vidisse quam nulla. Qui ‚assidue stat velut in praesidio positus’ semper vigilans, numquam iucunda somnia videbit. Philosophus dicit: ‚Vetitum est, ne vivatis vivi!’ Si nunc ridens dicas ‚Rem verbis exasperas!’, vera dicas. Et filio spes in me posita nunc erepta sit. Fortasse in libris scripturis de me narrabit.

At viri, quod inter nos liceat dicere, cadis sunt similes: semper faciunt, ut specie durescant. Ut filii verbis utar: ‚intra nihil habent fronti suae simile!’ Sensus semper dissimulant. Honos eis decori sit, scio enim et in optatis illius esse ad honores ascendere, interiora relinquunt inania. Si franguntur, restat nihil. Nos autem vituperant de animo molli!

Quem putant pusillum, vero plenum esse scio. Nam nos utimur utroque bono: et ratione et sensu. Natura enim ea viris ac feminis aequabiliter attribuit. Si non dissimularent, inter nos differremus nulla re. Scripsit filius ‚humanum animum ex isdem seminibus, quibus divina constant, compositum esse’. Num compositae sunt ex eodem omnes res nec animus feminae? Scio te id intellecturam esse, optem, ut etiam ii intellegerent! Si feminas excludunt, ingenium nostrum perdunt, quasi Atlas onus suum una manu ferat, quod dextram validiorem putat. Veniant tempora, quibus filius non dicet ‚fortunam matris totam ex sua pendere!’ Et scripsit filius: ‚Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam!’

Te optime novi, soror cara: ‚Certe aegrota es, febris corripere! Cubitum i et fac, ut ad sanitatem revertaris!’ dicas et forsitan recte dicas, vinum verbaque me fatigaverunt. Mox dormitum me conferam, cras mane epistulam filii replicabo et perlegam et faciam, quod semper feci. Vale!